

www.e-rara.ch

**Officia propria sanctorum quorundam ex proprio tam Constantiensi,
quam etiam Monasterij S. Galli**

Rudolphi, Joseph <<von>>

Typis ejusdem Monasterij S. Galli, Anno M.DCC.XXIII. [1723]

Stiftsbibliothek St. Gallen

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-130371>

Festa Julij.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

& pax est electis Dei. V. Qui confidunt in illum intelligunt veritatem, & fideles in dilectione acquiscent illi. Quoniam donum. Gloria Patri. Quoniam.

In tertio Nocturno. Homilia in Evangelium. Descendens Jesus de monte. De Communi plurimorum Mart.

Re. VII. Propter testamentum. Re. VIII. Hæc est vera fraternitas.

FESTA JULIJ.

DIE IV. JULII.

S. UDALRICI Episc. & Conf. Duplex.

Oratio.

EXaudi quæsumus Domine preces nostras, quas in beati Udalrici confessoris tui atque Pontificis solemnitate deferimus: & qui tibi dignè meruit famulari, ejus intercedentibus meritis ab omnibus nos absolvo peccatis. Per Dominum.

In primo Nocturno, Lectiones, De Scriptura temporis.

In secundo Nocturno.

LECTIO IV.

UDalricus, patre Hupaldo Kyburgensi, & Dilingensi Comite, matre Thietburga Burcardi Sueviæ Ducis filia, natus anno salutis humanæ octingentesimo nonagesimo, ab
iacunte

ineunte ætate piè institutus, in omni vita Christianis virtutibus præluxit. Purè ab omni intemperantia refugit: habitu, incessu & vultu morum gravitatem præ se tulit. Adolescentulus in cœnobio sancti Galli religiosi Monachis in disciplinam traditus, cum in litteris, tum in Ecclesiasticæ disciplinæ studiis mirificè profecit.

*Ps. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliabitur ei. Ps. Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non nocebit ei. Manus.*

Lectio V.

Virtutum igitur progressionibus is cum in dies majorem laudem collegisset, Hilario Augustæ Vindelicorum Antistite mortuo omnium voce Episcopus deposcitur, cumque ad populi desiderium Henrici Aucupis Germaniæ Regis voluntas accederet, in vius Episcopale munus suscepit. Quo in munere totus potissimum in id incubuit, ut quem beatus Paulus Apostolus Episcopum expressit, illum vitæ exemplis, castissimâ religione, divinæ pietatis officiis, omnique Episcopali sanctitate perpetuò imitaretur.

*Ps. Posui adjutorium super potentem, & exaltavi electum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliabi-*

zur ei. *Ps. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum. Manus.*

Lectio VI.

Abstinentiâ enim fuit admirabili; carnis non vesceretur; humi cubabat vili stramento subjecto, opere illud Apostoli proclamans: Castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ne, cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar. Erga omnes hospitalitate ac liberalitate usus, tum erga pauperes imprimis, quos in mensa convivas semper adhibuit. Cleri disciplinam ad religiosos mores revocavit. Sanctæ Afræ Martyris templum ab Hunnis devastatum suis sumptibus refecit. Basilicam item sancti Joannis Baptistæ nomine ædificavit. Sacrarum Virginum Collegium sancti Stephani instituit. Missam singulis diebus, nisi vale udine impediretur, celebrare consuevit. Religionis causâ semel atque iterum ad limina Apostolorum Romam peregrinatus est. His atque aliis religiosè sanctèque gestis, ac miraculis præterea multis, quibus illius sanctitatem notam Deus esse voluit, clarus, tertium & octogesimum annum agens ad præmium abiit in cælum quarto Nonas Julij, anno salutis humanæ nongentesimo septuagesimo tertio.

R. Isle est, qui ante Deum magnas virtutes ope-

ratus est, & omnia terra doctrinâ ejus repleta est : *
 Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum, v. Iste
 est, qui contempsit vitam mundi, & pervenit ad cœlestia
 regna. Ipse intercedat. Gloria Patri. Ipse intercedat.

In tertio Nocturno, Homilia in Evangelium. Vigi-
 late, quia nescitis. De Communi Conf. Pont.

DIE XV. JULII.

In Festo S. HENRICI Conf. Semiduplex.

Oratio.

OMnipotens & misericors Deus, qui à glo-
 ria tua nullam conditionem excludis: te
 suppliciter exoramus; ut, sicut beato Henri-
 co Confessori tuo post terreni culmen Imperij,
 cœlestis regni solium contulisti, ita meritis
 ejus & precibus, nobis quoque famulis tuis
 æternæ felicitatis præmia largiaris. Per
 Dominum.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occu-
 rente.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

Henicus, è Duce Baviaræ Rex Germaniæ
 ac deinde Romanorum Imperator, cogno-
 mento Pius meritò est appellatus. Nihil sine
 precibus aggredi solitus. Angelum Domini,
 patronosque Martyres duces ante aciem visi-
 biles interdum habuit, sanitatèmq; insigni

miraculo in Cassinensi monasterio impetravit. Virginitatem, raro exemplo, matrimonio junxit. Benedictum octavum profugum excepit, mox Sedi suæ restituit : Romanam Ecclesiam amplissimo diplomate muneratus, eidem tuendæ bellum adversus Græcos in Apulia suscepit. Bambergensem Episcopatum hæreditariis opibus fundavit, ac beato Petro, Romanoque Pontifici vestigalem fecit. Denique illustribus per Galliam, Italiam, Germaniam religiosæ munificentiæ vestigiis passim relictis, migravit in cœlum, sanctitate & miraculis, quàm sceptro atque imperio clarior.

R. Honestum fecit illum Dominus, & custodivit eum ab inimicis, & à seductoribus tutavit illum : Et dedit illi claritatem eternam. V. Justum deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei. Es dedit.

Sermo sancti Joannis Chrysostomi.

In Orat. de S. Philogonio, tom. 3.

Lectio V.

BEati Henrici dies, cujus festivitatem celebramus, ad ipsius rectè factorum enarrationem linguam nostram evocavit : siquidem hodie beatus iste ad tranquillam, omnisque perturbacionis expertem vitam transiit : còque
navi-

navigium appulit, ubi deinceps non poterit metuere naufragium, nec ullam animi perturbationem, aut dolorem. Et quid mirum est, si locus ille purus est ab omni molestia animi, cum Paulus hominibus adhuc in hac vita degentibus loquens dicat: Semper gaudete, sine intermissione orate?

*R. Amavit eum Dominus, & ornavit eum: stulam gloriæ induit eum: * Et ad portas paradisi coronavit eum. P. Induit eum Dominus loriceam fidei, & ornavit eum. Et ad portas.*

Lectio VI.

Quod si hinc, ubi morbi, ubi insectationes, ubi præmaturæ mortes, ubi calumniæ, ubi invidiæ, ubi innumerabiles insidiæ, ubi quotidianæ sollicitudines, ubi perpetua sibi que succedentia mala sunt, innumeros ex omni parte dolores afferentia, Paulus dixit, fieri posse, ut semper gaudeamus, si quis paululum ex rerum mundanarum fluctibus erexit caput, vitamque suam rectè composuerit: multò magis, postquam hinc demigraverimus, facile compotes erimus ejus boni, cum hæc omnia sublata fuerint, adversa valetudo, morbi, peccandi materia, ubi non est meum ætuum, frigidum illud verbum, & quidquid est malorum in vitam nostram invehens, innumeræque gignens bella.

R. *Iste homo perfecit omnia, quæ locutus est ei Deus, & dixit ad eum: Ingredere in requiem meam; * Quia te vidi justum coram me ex omnibus gentibus.*
 V. *Iste est, qui contempsit vitam mundi, & pervenit ad cœlestia regna. Quia. Gloria. Quia.*

In tertio Nocturno, Homilia in Evangelium. Singlumbi veltri. De Communi Conf. non Pont. Missæ. Os justia.

DIE XXXI JULII.

S. IGNATII Conf. Duplex. Omnia de Communi Conf. non Pont. præter ea, quæ sequuntur.

Oratio.

DEUS, qui ad majorem tui Nominis gloriam propagandam, novo per beatum Ignatium subsidio militantem Ecclesiam roborasti; concede, ut ejus auxilio & imitatione certantes in terris, coronari cum ipso mereamur in cœlis. Qui vivis & regnas cum Deo Patre.

Lectioes primi Nocturni de Scriptura occurrente.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

IGNATIUS natione Hispanus, nobili genere Loyosæ in Cantabria natus, primo Catholici Rædis aulam, deinde militiam secutus est. In propugnatione Pampelonensi accepto vulnere

nere graviter decumbens , ex fortuita piorum librorum lectione , ad Christi Sancto- rumque sectanda vestigia mirabiliter exarsit. Ad Montem Serratum profectus , ante Aram beatæ Virginis suspensis armis noctem excubans, sacræ militiæ tyrocinium posuit. Inde, ut erat indutus sacco , traditis antea mendico pretiosis vestibus, Manresam secessit : ubi emendicato pane & aquâ victitans , exceptis- que diebus Dominicis jejunas , a perâ catenâ cilicioque carnem domans , humi cubans, & ferreis se flagellis cruentans , per annum commoratus est : claris adeò illustrationibus à Deo recreatus , ut postea dicere solitus sit : si sacræ Literæ non extarent , se tamen pro fide mori paratum ex iis solum , quæ sibi Manresæ patefecerat Dominus. Quo tempore, homo literarum planè rudis , admirabilem illum composuit Exercitiorum librum , Secdis Apostolicæ judicio , & omnium utilitate comprobatum.

*Be. Honestum fecit illum Dominus, & custodivit eum ab inimicis, & à seductoribus tutavit illum: * Et dedit illi claritatem æternam. †. Iustum deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei. Et dedit.*

Leclio V.

UT verò se ad animarum lucra ritè forma-
ret,

ret, subsidium literarum, à grammatica inter pueros exorsus, adhibere statuit. Cúmque nihil interim omitteret de studio alienæ salutis, mirum est, quas ubique locorum ærumnas ac ludibria devoraverit, asperrima quæque, & vincula, & verbera penè ad mortem usque perpeffus: quibus tamen longè plura pro Domini sui gloria semper experiebat. Lutetiæ Parisiorum adjunctis sibi ex illa Academia variarum nationum sociis novem, qui omnes Artium magisteriis, & Theologiæ gradibus insignes erant, ibidem in Monte Martyrum prima Ordinis fundamenta jecit: quem postea Romæ instituens, ad tria consuetæ, quarto addito de Missionibus voto, Sedi Apostolicæ arctius adstrinxit: & Paulus Tertius primò recepit, confirmavitque: mox alij Pontifices, ac Tridentina Synodus probavêre. Ipse autem misso ad prædicandum Indis Evangelium sancto Francisco Xaverio, aliisque in alias mundi plagas ad Religionem propagandam disseminatis, ethnicae superstitioni hæresique bellum indixit, eo successu continuatum, ut constans fuerit omnium sensus, etiam Pontificio confirmatus oraculo, Deum sicut alios aliis temporibus sanctos viros, ita Luthero, ejusdemque temporis hæreticis, Ignatium, & institutam ab eo Societatem objecisse.

R. Amavit eum Dominus, & ornavit eum: stolam gloriae induit eum. * Et ad portas paradisi coronavit eum. *V.* Induit eum Dominus lorica[m] fidei, & ornavit eum. Et ad portas.

Lectio VI.

SED in primis inter Catholicos instaurare pietatem curæ fuit. Templorum nitor, Catechismi traditio, Concionum ac Sacramentorum frequentia ab ipso incrementum accepêre. Ipse apertis ubique locorum ad juventutem erudiendam in literis ac pietate gymnasiis; erectis Romæ Germanorum collegio, malè nuptarum & periclitantium puellarum cœnobiis, utriusque sexûs tam Orphanorum quàm Cathecumenorum domibus; aliisque pietatis operibus, indefessus lucrandis Deo animis instabat; auditus aliquando dicere: Si optio daretur, malle se beatitudinis incertum vivere, & interim Deo inservire, & proximorum saluti; quàm certum ejusdem gloriæ statim mori. In dæmones mirum exercuit imperium. Vultum ejus cœlesti luce radiantem sanctus Philippus Neri[us] aliique conspexêre. Denique ætatis anno sexagesimo quinto, ad Domini sui amplexum, cujus majorem Gloriam in ore semper habuerat, semper in omnibus quæsierat, emigravit. Quem Gregorius decimus quintus magnis in Ecclesiam

fiam meritis & miraculis illustrem, Sanctorum fastis adscripsit.

R. Iste homo perfecit omnia, quæ locutus est ei Deus, & dixit ad eum: Ingredere in requiem meam: *
Quia te vidi justum coram me ex omnibus gentibus.
V. Iste est, qui contempsit vitam mundi, & pervenit ad cælestia regna. *Quia. Gloria. Quia.*

In tertio Nocturno, Homilia in Evangelium. Sint lumbi vestri præcincti. De communi Conf. non Pont. Missa. Os justii. Secreta Oratio, & post. omnium ex sequenti Missa. Justus ut palma.

FESTA AUGUSTI.

DIE VII. AUGUSTI.

S. AFRÆ Martyris tantum. Duplex. Capitulum. Confitebor tibi Domine.

Oratio.

DEUS, qui inter cætera potentiaæ tuæ miracula, etiam in sexu fragili victoriam martyrij contulisti: concede propitius; ut qui beatæ Afræ martyris tuæ natalitia colimus, per ejus ad te exempla gradiamur. Per Dominum.

In primo Nocturno, Lectiones. Confitebor tibi Domine. Ut in Communi Virg.